



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICALIBEROPOLITANAЕ

(*OYEMENSIS*)\* DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORII AB ARCHIDIOECESI LIBEROPOLITANA, NOVA  
CONDITUR DIOECESIS, «*OYEMENSIS*» APPELLANDA Divini Magistri verba: «Euntes in mundum universum,  
praedicate Evangelium omni creaturae» (*Mc. 16, 15*) non modo Nos impellunt ut fecunda religionis semina in omnes  
gentes et nationes spargamus, verum etiam singulas Ecclesias ita constituamus et disponamus ut et facilior fiat usus  
christianaе virtutis credentibus, et suscipiendaе veritatis iis, quos nondum splendida fidei nostrae lux collustraverit. Quam  
ob rem, cum Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando visum sit, archidioecesi Liberopolitana partita, novam  
dioecesim condere, Nos, sententia audita venerabilis Fratris Ludovici Poggi, Archiepiscopi titulo Forontoniensis et  
Apostolici in Gabone Pro-Nuntii, necnon Ordinarii cuius intersit, haec quae sequuntur decernimus atque iubemus. E  
territorio archidioecesis Liberopolitanae partem septentrionalem et orientalem, quae civiles districtus vulgo «Oyem» et «  
Makoku » constituunt, detrahimus, easqne in novae dioecesis formam redigimus, *Oyemensis* nuncupandae ab urbe  
principe eiusdem regionis Oyemensis, quam curis cleri dioecesani committimus et archidioecesi Liberopolitanae  
suffraganeam reddimus. Cuius Sedes episcopal is erit in ipsa civitate Oyemensi, episcopal is vero magisterii cathedra in  
templo principe ibi erecto, quod ad gradum cathedralis ecclesiae tollimus, cum iuribus debit is. Praesentium autem  
difficultatum ratione habita, concedimus ut ad tempus pro Canonicorum collegio Consultores dioecesani deligantur,  
Episcopum consilio et ope ad normam iuris invaturi. Has vero Litteras Nostras venerabilis Frater Ludovicus Poggi  
exequi curabit, vel quem ille delegaverit. Re autem peracta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Sacram  
Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Hanc vero Constitutionem nnnc et in posterum efficacem esse et  
fore volnmus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam  
obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nnlla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam  
iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat;  
quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri preferant in  
ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides,  
quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Maii, anno Domini  
millesimo nonagesimo sexagesimo nono, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regensloannes Calleri, Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, Protonot.

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 12, pp. 706-707 © Copyright 1969 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana